

de ordine Episcopali. — Tertio expendi potest verbum illud, *aliquem sacrum ordinem*; nam ex illo oritur dubium, an hoc impedimentum extendatur ad ordines minores; nam interdum omnes ordinationes generaliter vocantur sacrae, quatenus sacramentum sunt; propria vero et speciali ratione solum dicuntur ordines sacri, subdiaconatus, et superiores; est ergo dubium quomodo ibi accipiendi sint ordines sacri; tum tamen interpretatio est ibi ordines sacros proprie sumi, tum quia juxta communem usum juris hæc est magis propria significatio; tum etiam quia non oportet legem poenalem ampliari. Unde fit religiosum suscipientem minores ordines in statu apostasiæ non manere suspensum quoad usum talis ordinis, et consequenter, si apostasiam relinquat, et poenitentiam agat, posse sine nova dispensatione ad superiores ordines ascendere. Scio multos ex Canonistis ibi asserere, ipsum contrahere impedimentum, dispensabile tamen per Episcopum, et in eo textu fieri mentionem sacrorum ordinum solum propter specialem reservationem; sed illud nullo jure probatur, et ideo non est admittendum, ut dixi latius, tom. 5, in tertia parte. Loquimur autem ex vi apostasiæ, ut loquitur ille textus; nam si dimittendo habitum excommunicationem incurrisset, et in eo statu susciperet ordines minores, ratione excommunicationis fieret irregularis; sed illa poena est ex alio generali principio, de quo in eodem 5 tom. Hic vero ulterius potest interrogari, si religiosus apostata esset sacerdos, et in apostasia consecraretur Episcopus, an maneret suspensus ab Episcopali ordine; et est ratio dubii, quia consecratio Episcopi inter sacros ordines non numeratur. De hoc nihil invenio in expositoribus et Summistis; mihi tamen videtur illum manere suspensum ab executione ordinis Episcopalis, tum per argumentum a fortiori, quia plus est consecrari Episcopum, quam ordinari diaconum; tum etiam (et melius) quia consecratio Episcopalis est veluti extensio quædam characteris sacerdotalis, et ideo sub illo comprehenditur in numeratione sacrorum ordinum.

31. *Secunda assertio, excludens alias poenas.* — *Objectioni de poena infamiæ occurritur.* — Secundo principaliter dicendum est, nullam aliam poenam esse ipso jure impositam propter hanc apostasiam. Ita sentiunt Sylvest., Angelus, et alii, verb. *Apostasia*; et ratio est, quia nullo jure invenitur talis poena imposita. Dices, in jure imponi infamiam propter hoc

crimen, c. *Alieni*, 2, q. 7. Respondeo primo verba illius canonis amplissima esse, et extendi ad apostasiam largissime sumptam pro inobedientia ecclesiastica, juxta illa verba: *Aut sacris Patrum regulis et constitutionibus non obedientem.* Potest etiam intelligi de apostatis tam a fide, quam ab Ordine et religione, quæ est communior expositio, et consentanea principio textus: *Alieni erroris socium, vel a sui propositi tramite recedentem.* Postea vero subditur, *infames omnes esse censendos qui suam aut Christianam prævaricantur legem, aut Apostolicam, vel regularem libenter postponunt auctoritatem*; et in hoc sensu recte probatur hæc poena, non tamen ipso facto, neque ante sententiam judicis incurrendam, quia ibi nulla sunt verba quæ talem rigorem indicent. Idemque confirmatur ex cap. *Beatus*, 3, quæst. 4, ubi *apostata refutandus dicitur ante conversionem suam*, scilicet, ab accusatione, vel testimonio; ergo, donec refutetur per judicem tanquam infamis, non incurrit hujusmodi poenam ipso facto; unde Sylvester, explicans hanc poenam in apostasia ab Ordine, solum dicit: Interim ab accusatione et testimonio tanquam infamis repellitur; ergo sentit ante sententiam judicis non incurri hanc poenam. Hoc autem intelligimus de infamia juris; nam si delictum sit publicum, propter ejus gravitatem sufficiat ad infamiam facti, juxta ea quæ de infamia in materia de irregularitate tradidimus.

32. *Quorundam placitum de poenis aliis rejicitur.* — Præter has vero poenas traduntur aliæ a Doctoribus, quæ propter apostasiam ab Ordine incurruntur, quas nonnulli extendunt ad apostasiam a religione; sed ego pro regula constituo, nullam poenam impositam propter apostasiam Ordinis in specie esse extendendam ad apostasiam religionis, nisi in ipsamet lege vel in alia fiat talis extensio, quia in poenali lege, ut talis est, non admittitur talis ampliatio, etiamsi fortasse delictum sit gravius. Nec sufficit similitudo rationis, tum quia requiritur voluntas legislatoris, tum etiam quia illa similitudo nunquam est exacta. In aliis vero poenis non invenitur talis extensio facta in jure, et ideo in eis explicandis non immoror; nam de apostasia ab Ordine, Deo dante, dicitur sumus in 6 tom. tertiæ partis. Tandem advertendum est, hæc omnia intelligi de jure communi, contento, scilicet, in corpore juris; nam extra illud sunt quædam constitutiones Pauli IV et Pii V, ferentes speciales poenas, quas inferius attingemus; sunt etiam in par-

## CAP. II. EXPEDIUNTUR ALIQUOT DUBIA CIRCA DOCTRINAM, ETC.

ticularibus religionibus specialia Indulta quæ consulenda sunt, ut de Societate jam dicemus.

## CAPUT II.

## EXPEDIUNTUR DUBIA QUATUOR CIRCA DOCTRINAM CAPITIS PRÆCEDENTIS.

1. *Primum dubium, an sint apostatæ qui non professi discedunt.* — *Primum pronuntiatum in hoc dubio.* — Supersunt vero hic nonnulla dubia. Primum est, an religiosi non professi per vota solemnia, retrocedendo modis supradictis, fiant veri apostatæ, eorumque poenas incurrant; antiqui enim Doctores partem negantem ut certam supponunt. Nam novitius propterea non fit apostata retrocedendo, quia professionem nondum emisit, ac proinde religiosus non est, c. *Religioso*, § 1, de Sentent. excommuni., in 6. Præterea, quia non dicitur quis simpliciter ingredi religionem donec profiteatur, juxta ea quæ auctores notant in Authentica *Ingressi*, et Authentica *Si qua mulier*, de Sacrosanctis Ecclesiis, per Bartolum, et alios, quos refert Tiraq., de Utroque retractu, tract. 1, § 1, gloss. 8, num. 24; Felinus, cum additione in cap. *Cum deputati*, de Judiciis, num. 2; ergo neque antea potest esse egressio a religione; ergo neque apostasia<sup>1</sup>. Ad hoc dubium duo dicenda sunt: primum est, non esse verum apostatam, neque incurrere poenas ejus, nisi qui est verus religiosus. Hoc convincit ratio dubitandi proposita, et hic est sensus communis sententiæ antiquorum Doctorum. Unde infertur, si quis post votum simplex castitatis matrimonium contrahat, non esse apostatam. Item neque illum, qui post tria vota simplicia, paupertatis, castitatis et obedientiæ in seculo emissa, sive in privatum vivendi modum, sive in aliqua communitate, et modo ejus vivendi non approbato ab Ecclesia pro vera religione, ut dicuntur esse feminæ quæ Mantellatæ au Tertiariæ vocantur; neque hunc, inquam, esse apostatam, neque incurrere poenas, etiamsi assumat statum omnibus illis votis repugnantem. Ratio est, quia ille non est religiosus, et ita non retrocedit a statu religioso, in quo ratio hujus apostasiæ consistit.

2. Dices, retrocedere ab obligatione ejusdem rationis; nam hæc est eadem in votis simplicibus et solemnibus, ut supra dixi. Res-

<sup>1</sup> Vide Gregor. Lop., leg. 17, tit. 1, part. 1.

pondeo primum, id nos non tractare speculative, an malitia illorum peccatorum differat specie, necne; satis enim est quod loquendo ecclesiastico more, illa peccata differant quamplurimum in æstimatione, appellatione et punitione, quia unum est longe gravius alio, et quia illud est contra instituta ecclesiastica, et non aliud; ac denique quia unum est multo magis consummatum in sua specie quam aliud. Adde vero illa peccata etiam differre specie quoad aliquam malitiam, nempe in malitia injustitiæ quam committit verus religiosus apostatando a sua religione, propter traditionem illi factam, et ab Ecclesia acceptatam, quam malitiam non incurrit retrocedens ab alio vivendi modo, quantumvis pio, quia in eo non intervenit traditio valida; hæc enim sine Ecclesiæ approbatione esse non potest.

3. *Secundum pronuntiatum.* — Dico secundo, omnes vere religiosos, etiam illos qui tantum simplicia vota emittunt in religione ab Ecclesia approbata ad verum statum religiosum, etiam in illo gradu esse vere apostatas, et incurrere poenas jure communi apostatis impositas, retrocedendo criminose a sua religione. Hæc conclusio est certa, ex declaratione et approbatione Pontificum. Supponitque posse dari verum statum religiosum, cum votis simplicibus, quod esse certum secundum doctrinam Ecclesiæ infra ostendemus, tract. 10, lib. 3, cap. 3. Ex hoc autem principio manifeste infertur assertio posita: nam apostasia est iniqua retrocessio a statu religioso; sed verus status religiosus constitui potest aut per professionem, aut traditionem votis tantum simplicibus confirmatam; ergo etiam potest esse vera apostasia huic statui contraria. Unde Paulus III, in ultima Bulla quam Societati concessit, hujusmodi recedentes a Societate post vota simplicia emissa apostatas vocat, et omnem potestatem superioribus præbet ad eos cogendos et puniendos, quia revera injuriam suæ religioni faciunt, ut statim explicabimus; et Pius IV, ac Pius V, in Bulla *Æquum reputamus*, addunt poenam excommunicationis ipso facto in eosdem apostatas, et ut tales puniendi et cogendi declarantur; et Gregorius XIII, in constitutione *Ascendente Domino*: *Si a Societate (inquit) deficient, excommunicationis et aliis apostatarum poenis sint subiecti*; et infra: *Excommunicationis majoris latæ sententiæ, et aliis apostatarum poenis, si qui a Societate deficient, subjacere, et tanquam veros apostatas puniri posse.* Quæ verba omnem tergiversationem excludunt; nam hos

non fictos, aut reputatos, sed veros apostatas esse declarat.

4. *Satisfit motivis in num. 1.* — Neque antiqui auctores huic veritati repugnant; nam verum est novitium non posse esse apostatam, quia non est verus religiosus, quod de his religiosis, de quibus loquimur, dici non potest. Verum est etiam proprium ingressum in religionem, quo, scilicet, quispiam fit membrum illius, et particeps religiosi status, esse professionem; tamen modus talis professionis pendet ex institutione Ecclesiae, quæ potest facere ut per vota simplicia firmetur professio seu incorporatio sufficiens ad religiosum statum, et ita potest esse verus ingressus in religione, sine votis solemnibus. Antiqui autem auctores locuti sunt secundum morem sui temporis, in quo non erat in usu professio vel incorporatio religiosa, nisi per vota solemnia, et ideo indifferenter de his loquuntur. Formaliter autem intelligendum est dictum eorum de professione quatenus est incorporatio cum religione, et assumptio religiosi status. Unde etiam jura antiqua, loquentia de apostatis, in his etiam apostatis locum habent; nam si loquuntur nomine religiosorum, aut regularium, etiam isti veri religiosi et regulares sunt; si vero loquuntur nomine monachorum, tamen, ut capite præcedenti, num. 29, dicebam, formaliter respiciunt religiosum statum, et ideo omnes veros religiosos comprehendunt, juxta communem doctrinam.

5. *Vera et propria traditio religiosa stat per vota simplicia.* — Et potest ratione declarari; nam hi religiosi vere se tradunt Deo, ut loquuntur Pius IV et Pius V, supra, et religioni, ut loquitur Gregorius XIII; et quantum in se est in perpetuum hanc traditionem per vota confirmant; ergo dum injuste recedunt, privant religionem et Deum jure suo, et ita committunt apostasiam ejusdem malitiæ cum altera quæ est contra professionem solemnem. Et ideo merito datur religioni potestas capiendi hujusmodi fugitivum et apostatam; nam dominus etiam potest capere servum fugitivum, ubicumque illum invenerit, leg. 1, Cod. Ubi causæ status agi debet, et in leg. 1, § *Per servum*, ff. de Acquirenda possessione, facitque lex 1, Cod. Ubi quis de Curiali, etc. Quibus locis Bartolus, Baldus et alii dicunt in hoc casu valere argumentum a servo ad religiosum. Cum ergo hi religiosi, de quibus agimus, verum sui dominium religioni tradiderint, veram apostasiam recedendo committunt, et in omnia jura apostatis contraria pec-

cant, et consequenter eorum poenas incurunt.

6. Sunt autem aliqui moderni auctores, qui post hanc institutionem simpliciter scripserunt, eum qui non fecit votum solemnem non esse apostatam, ut Aragonius 2. 2, q. 12, art. 1, qui solum dicit eas quæ vulgo *Beate* dicuntur, non esse apostatas, licet contra simplex votum castitatis nubant, quod erat per se clarum; sed ille reddit rationem, quia non sunt professæ, nec fecerunt aliquod votum solemnem. Sed hic auctor locutus est more antiquorum, et fortasse non vidit Bullas Societatis, neque ejus institutum satis perspectum habuit; nam quando ipse scripsit, nondum erat hæc res in judicio contradictorio (ut sic dicam) ventilata. Difficilius ibidem locutus est Dominicus Bannes, dicens apostatam esse qui retrocedit a religione, quam vovit solemniter, quoniam si sit religio in quo emittatur votum simplex tantum, retrocedere ab illa non est apostasia. Non est autem ausus ponere exemplum in Societate, neque ego volo intentionem ejus judicare, sed ponit exemplum in feminis tertii ordinis S. Francisci, vel Dominici. Sed immerito, quia quam illæ profitentur non est religio, nec religio appellari potest quæ ab Ecclesia ut religio approbata non est; et ideo conditionalis illa, si sit religio, in qua fit tantum votum simplex, retrocessio ab illa non est apostasia, in rigore et proprietate sermonis falsa est; nam si sit religio approbata, erit apostasia recedere ab illa post veram incorporationem ejus, per quæcumque vota fiat, ut probatum est; si vero non est approbata, non est religio, et ideo recessus a tali modo vivendi non est quidem apostasia, tamen nihil refert ad veritatem illius conditionalis.

7. *Qui ex legitimo consensu religionis ab ipsa eximitur, non est apostata.* — Dixi autem hunc recessum esse apostasiam si criminose fiat, quia nullus recessus a religione sine peccato factus dici potest apostasia, ut recte notavit Cajetan., dicta q. 12, art. 1, et commemorat Navar., in dicto consilio, de Apostatis, num. 4. Nam apostasia est nomen vitii secundum propriam significationem et communem usum ejus, et ideo in clericatu, qui post ordines tantum minores relinquit habitum et statum clerici, non est apostata, quia in eo non peccat, neque etiam est apostata religiosus professus, qui ex licentia Pontificis dimittit habitum, et vivit extra claustrum, vel licet ducat uxorem, si dispensatio ex legitima cau-

sa ad hoc extenditur. Ad hunc ergo modum in præsentem, si quis retrocedat a tali statu ex legitimo consensu religionis, quamvis ipse etiam consentiat, non est apostata, quia in tali consensu vel egressu non peccat; imo, licet peccaret malo fine consentiendo, aut procurando egressum, vel licet prius peccando daret causam dimissioni, nihilominus in ipso egressu non committeret apostasiam, quia nec vota violaret, nec religioni proprie faceret injuriam per quam apostasia consummatur. Dico autem si hoc fiat ex legitimo consensu religionis, nam si esset extortus per fraudem et subreptionem, fingendo causam ubi vere non est, vel per quamdam moralem vim, ex instituto male vivendo, ut liber dimittatur, non esset consensus legitimus, nec reddet quempiam securum ab apostasiæ crimine in conscientia, etiamsi exterius non ita appareat.

8. *Tertium pronuntiatum: apostatæ a Societate Jesu incurrunt excommunicationem reservatam, licet habitum non mutant.* — Addendum denique est peculiariter pro religione Societatis, non solum committi hoc vitium ab omnibus inique ab ea retrocedentibus post incorporationem in quocumque gradu ejus, sed etiam præter alias juris poenas incurri excommunicationem ipso facto Pontifici vel Generali Societatis reservatam, etiamsi fiat sine dimissione habitus, vel etiamsi fiat transeundo ad religionem. De hoc secundo puncto dicemus infra, in cap. 12. Primum autem patet ex Bulla Pii V, et Gregorii XIII, qui hanc censuram ferunt præcise propter apostasiam, vel illis verbis: *Si qui a Societate deficiant*, nihil aliud postulatur, quod est contra jus commune, in quo dimissio habitus postulatur ad censuram. Fuitque hoc necessarium in hac religione, quia non habet peculiarem habitum a clericali distinctum; imo, quamvis in illo observet peculiarem modum et decentiam, et fugitivus statuatur illam retinere et observare, nihilominus dictam excommunicationem incurret, si egrediatur animo manendi extra obedientiam Societatis, quia est verus apostata. Secus vero esset, si exiret titulo adeundi superiorem, vel animo redeundi ad Societatem sine permanentia in sæculo. Tunc enim, licet alias peccaret, non esset proprie apostata, et ideo non incurreret hanc censuram. In qua etiam est notanda reservatio ejus, nam inde constat graviter decipi eos qui putant, posse ordinarium confessorem ab illa absolvere.

9. *Dicta reservatio nec per Cruciatam cessat.*

— Dices, esto non possint per potestatem ordinariam, posse per Bullam Cruciatæ, quæ concedit omnes casus reservatos Pontifici; ergo etiam hunc, cum illum non excipiat. Sed hoc etiam est falsum. Primum, quia supra, lib. 2, cap. 16, ostensum est religiosos absolvi non posse sine licentia suorum Prælatorum virtute illius Bullæ; apostata autem religiosus est, et suis Prælati jure subjectus. Secundo, quia, vel ille permanet in sua apostasia, et sic est incapax absolutionis; vel recedit ab apostasia, et sic debet redire ad suam religionem, ne proinde a propriis Prælati ac iudicibus absolvi, non ab extraneis. Dices, licet in apostasia manens sit incapax absolutionis a culpa, quia est in statu damnationis, posse tamen absolvi a censura, saltem valide. Respondeo: esto possit facere hoc Pontifex, tamen per Bullam Cruciatæ non concedit hanc potestatem, quia vel solum concedit illam in ipsa confessione, ut multi volunt<sup>1</sup>, vel certe solum conceditur in ordine ad confessionem et satisfacta parte, et ideo solum conceditur pro his qui saltem sunt dispositi ad absolutionem de tali culpa. Denique cum in illa absolutione interveniat præjudicium tertii, scilicet religionis, non intelligitur comprehensa sub generali clausula, juxta communem doctrinam, et intelligentiam privilegiorum, fundatam in cap. *Quamvis*, de Rescriptis, in 6, et in cap. *Suggestum*, de Decimis, et in leg. *Quoties*, Cod. de Precibus Imperat. offeren., et in leg. 2, § 2, et leg. *Officii*, ff. Si quis a principe, et in ratione naturali, quia intentio principis non est injuriam alicui inferre, vel ad hoc occasionem dare, et ideo, quando est necessarium ad bonum commune privare aliquem jure suo, id exprimitur in lege vel privilegio; et e converso, quando non exprimitur, generalis concessio non intelligitur ad talem casum extendi; sicut etiam in aliis religionibus Prædicatorum, Minorum, etc., si apostatæ aut fugitivi excommunicationem reservatam incurunt, juxta talia privilegia talium ordinum, non possunt per hujusmodi Bullas absolvi in injuriam talium religionum. Ad quod etiam applicari potest illa regula juris, in generali concessione non comprehendi, quod in specie non esset princeps verisimiliter concessurus.

<sup>1</sup> Navar., c. 26, n. 31; Cord., in Sum., q. 19; Sarmient., lib. 1 Selectarum quæstionum c. 10, num. 5.

*Dubium secundum, de religioso fugitivo prout distinguitur ab apostata.*

10. Secundo, dubitari potest an fugitivi a religione incurrant poenas apostatarum. Supponimus per fugitivum intelligi religiosum qui vagatur extra monasterium, et extra obedientiam suorum Prælatorum, sine animo deserendi religionem, juxta superius explicata in 2, 3 et 4 puncto, et juxta leg. 17, ff. de Edilitio edicto: *Quid sit fugitivus* (dicitur ibi), et respondetur: *Fugitivus est, qui extra domini domum fugæ causa, quo se a domino celaret, mansit*; ita ergo cum proportionem vocatur monachus fugitivus, ut notant Doctores communiter in cap. ult. de Regular., et quamvis Panormitanus, ibi, dicat eo ipso quod Religiosus recedit a monasterio, et non est sub obedientia Prælati, esse apostatam, et ita videatur hæc duo confundere, nihilominus, juxta superius dicta, licet omnis apostata sit fugitivus, non e converso omnis fugitivus est apostata, quæ est sententia Joannis Andreae ibi, et magis recepta; ita ergo nunc loquimur de fugitivo, et inde nascitur propositum dubium, quia si non est apostata, non incurrat poenas eorum.

11. *Quid sit esse fugitivum. — Resolutio de vœnis fugitivi juxta varios modos ejus. — Et quidem dubium, suppositis quæ diximus, difficultatem non habet, stando in jure communi; nam fugitivus aut dimittit habitum, aut non dimittit; si dimittit, excommunicationem incurrat, non vero alias poenas, si non fugiat cum animo deserendi religionem modo supra explicato; si autem non dimittat habitum, nec excommunicatus est ipso jure, neque alias poenas incurrat, quamdiu apostata non est, quæ omnia ex superioribus constant; et excipitur casus specialis de eo qui accedit ad studia, sine legitima licentia; nam est excommunicatus, licet habitum non dimittat, nec apostata sit, ex cap. 2, Ne clerici vel monachi, in 6, quod in 5 tomo explicatum est. Solet autem quæri de fugitivo qui, licet non dimittat habitum, occultat illum, an ille sit apostata vel excommunicatus. Sed de apostasia judicandum est juxta modum fugæ; nam si sit ad deserendam religionem simpliciter, erit apostata; sin minus, sola occultatio non facit apostatam eum qui alias non esset, quia non sufficit ad consummandum actum in ratione desertionis seu retrocessionis a statu religioso, qua de re consule Quintilianum Mandosium, de Signatura gratiæ, tit. Licentiæ, fol. 101.*

De excommunicatione vero videri possunt dicta in citato 5 tom.

12. *Videri Pontifices, contra hanc resolutionem, æquiparare fugitivos cum apostatis. — Habet autem difficultatem propositum dubium de pœnis latis a Paulo IV, in 3 constitutione, quæ in Bullario habetur, ubi contra hujusmodi fugitivos simul et indifferenter cum apostatis varias multiplicat poenas ipso jure incurendas, scilicet, privationem omnium beneficiorum, inhabilitatem ad illa recipienda, incapacitatem fructuum ecclesiasticorum, ita ut illos suos non faciant, sed restituere teneantur, et perpetuam suspensionem ab omni ordine et ecclesiastico ministerio, etc. Quæ omnia confirmavit et auxit Pius IV, in sua constitutione prima, in eodem libro. Videntur ergo ibi æquiparari fugitivi apostatis quoad has poenas, quia generaliter feruntur contra omnes, qui temeritate propria, et contra juramentum in sua professione præstitum, et contra regularia sui ordinis instituta extra claustra suorum regularium locorum degunt, habitu retento, vel dimisso. Unde in ipsomet titulo utriusque constitutionis dicitur contra religiosos extra claustra vagantes et apostatas; ergo contra utrosque indifferenter feruntur poenæ.*

13. *Ostenditur tamen non id voluisse Pontifices. — Nihilominus dicendum est solos veros apostatas incurrere illas poenas. Et imprimis supponendum est non loqui Pontifices illos contra eos, qui ex legitima facultate extra claustra morantur, vel cum habitu, vel sine habitu, quia illud nec est contra votum in professione factum, neque dici potest contra regularia instituta, quia regula non excludit superioris Prælati legitimam facultatem, nec denique dici potest factum temeritate propria. Et quamvis ibi subjungatur, temeritate propria, et quovis prætextu, vel causa, intelligendum profecto est de iniquo prætextu, et causa non vera, sed ficta, ut Pius etiam IV declaravit, dicens non incurrere illas poenas nisi apostatas, qui cum litteris et dispensationibus subreptitiis in sæculo vagantur. Et ratione facile persuaderi potest: Paulus IV noluit punire quæ licite fiunt, nec damnare aut irritare licentias, vel dispensationes ex veris et justis causis concessas. Deinde, quod ad illas poenas incurendas necessaria sit apostasia, probatur ex verbis illis Pauli IV: *Volentes contra apostasiam ipsam plenius providere, et eam quantum nobis ex alto conceditur de medio tollere*; et juxta hanc intentionem semper loquitur repetendo frequenter nomina apostatarum, vel*

*apostasiam*; et Pius IV ita declarat ejus intentionem, dicens: *Paulus prædecessor, quod diversorum Romanorum Pontificum Constitutionibus contra Apostatas editis deerat supplere studens, et apostasiam morbo per amplius mederi intendens, etc.*; ergo juxta hanc intentionem explicanda est dispositio talis legis, maxime cum pœnalis sit et restringenda; ita enim esse jura interpretanda, et ipsa jura, et eorum interpretes docent, ut patet apud legem finalem, ff. de Hæredibus instituendis, et Bartol., Baldum, et alios; ac ratio ipsa convincit, quia ex intentione et voluntate legislatoris tota legis efficacia pendet, et quia pœna et ejus intentio maxime restringenda est, quantum verba patiuntur. Quamvis ergo simul cum vocibus apostasiam et apostatarum alii termini in illis constitutionibus addantur, omnes eo tendunt, ut turpitudinem apostasiam declarent, et exaggerent, non tamen ut propter aliud vitium, præsertim minus grave, eadem pœnæ imponantur.

14. *Apostata nomen ad quos se extendat, etiam proprie. — Probant autem sufficienter, ut opinor, constitutiones illæ, quod capite præcedenti, a num. 19, diximus, ad apostasiam satis esse, longo tempore et quasi permanenter in sæculo manere, et extra omnem obedientiam vagari; manifeste enim ibi dicitur hoc sufficere ad incurrendas omnes illas poenas, et consequenter censetur per illa verba sufficienter describi vitium apostasiam, quod ibi tantum punitur. Imo ex eisdem decretis etiam colligitur (quod supra, capite præcedenti, num. 14, fortasse non tam expresse diximus), hoc satis esse ad apostasiam, etiamsi habitus non dimittatur, ut patet ex illis verbis Pauli IV: *Alii vero nullo suffulti prætextu, temeritate propria, etc., extra claustra suorum regularium locorum degunt, et in sæculo, aliqui habitu sui ordinis retento, aliqui illo abjecto in habitu presbyterorum sæcularium, et quamplurimi in habitu laicali temere vagantur*. Hos ergo omnes censet apostatas, et pro omnibus illis poenas imponit inferius; ergo eandem moram, vel evagandi tempus in sæculo, censet sufficere ad apostasiam, habitu retento aut dimisso, sicut censet eandem sufficere cum habitu clericali et laicali, et in nullo ex his modis postulat, quod fiat egressio sine animo unquam revertendi. Et sine dubio quoad forum externum ita semper judicabitur.*

15. *Evasio de apostata nomine in foro externo refellitur. — Responderi autem potest*

illud judicium esse ex præsumptione; nam, qui ita vagatur diu, præsumitur non habere animum revertendi. Sed certe si tale judicium fundaretur in præsumptione, non deberet æque puniri qui habitum retinet, nam de illo potius posset præsumi habere animum revertendi, cum semper retineat propria insignia religionis. Deinde falsum existimo, illam legem vel pœnam ejus fundari in præsumptione; nam in ea solum consideratur id quod exterius committitur et convinci potest, scilicet, temeraria desertio et evagatio sine justo prætextu. Unde, si quæ ex ibi impositis incurratur ipso facto, et in conscientia ante omnem sententiam etiam declaratoriam, illam incurreret religiosus, qui temere in sæculo commoratur seu vagatur, etiamsi habitum non dimittat, et sive habeat animum redeundi ad religionem, sive non, quia Pontifex expresse ponit pœnam propter illud crimen, quod in illo actu sufficienter consummatur, et illa intentio redeundi vel non redeundi est valde extrinseca, pertinens magis ad futuram et contingentem resipiscentiam, quam ad crimen quod in præsentem committitur, et propter quod pœna imponitur. Sic igitur pœnæ ibi latæ non extenduntur ultra apostatas a religione; qui vero sint apostatae difficilius clarari videtur, quam multi auctores opinati sunt, nisi juxta modum supra insinuatam explicentur.

16. *Quæ pœnæ ex prædictis incurrantur ipso facto, necne. — Quæ item a Prælatibus infligi valeant. — Occurrebat vero statim declarandum, an pœnæ illæ incurrantur ipso facto, et ante omnem sententiam declaratoriam criminis; sed non censeo necessarium in hoc immorari, sed legantur attente et ponderentur verba, et applicentur generales regulæ de lege pœnali, et erit facilis resolutio. Præsertim, quia Pius IV, quoad poenas privationis beneficiorum et dignitatum, videtur declarasse non incurri ante sententiam declaratoriam criminis, quod secus esse de censuris ibi latis manifeste supponit. Addendum denique est præter hæc omnia habere Prælatum religionis potestatem capiendi, cogendi, et incarcerandi hujusmodi apostatas, eosque condigne puniendi, etiam corporaliter, juxta suam regulam, vel juxta prudens arbitrium, regulari statui consentaneum. Et quoad hoc genus pœnæ et coactionis æquiparantur fugitivi apostatis, non quoad quantitatem pœnæ, nam hæc imponenda est juxta modum delicti, sed quoad modum coactionis, quæ illis*